



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 144. Liga boni publici Principum in Francia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

quadringentos capiebant, ac finito proe-
lio Segoviam suo subjiciebant imperio.

Sæcul. XV.

A. C. 1465.

§. CXLIV.

*Liga boni publici Principum
in Francia.*

Hoc anno in Galliis conjuratio, quam
ligam boni publici vocabant, in aper-
tum prorupit incendium, non sine in-
genti Ludovici Regis admiratione;
quamvis enim per quatuor omnino an-
nos clandestina adversus eum agitari-
entur consilia, Regnique Proceres conspira-
tionem maturare toto studio satagerent,
nihilominus Rex, elusa omni explorato-
rum solertia, nullo prorsus indicio rem
detegere poterat, nec quicquam prius
suspicabatur, quam spes remedii relicta
esset nulla. Tunc demum Galliarum
Rex, cum Britanniae Ducem opprimere
unice intentus esset, ineunte Mense Fe-
bruario copias suas ad Pictaviensem Pro-
vinciam præmittebat, mox vero ipse se-
quebatur, comitantibus eum Bituricum
Duce fratre suo, Renato Andegavensi,
& Cenomanensi Comite. Verum vix
apud Pictones advenerat, cum illico Bri-
tanniae Ducis Legati Tannegius Castel-
lius, & Romilleus Cefneliae Toparcha
Regem adeunt, atque ab eo perbenigne
excepti, cum summa animi demissione
spon-

Sæcul. XV. A. C. 1465. spondent, quod ipsorum Dux brevi Regiæ suæ Majestati plene satisfactorius esset. Hac legatione perfuncti, cum ingenti benevolentiae significatione valere jubebantur. Verum vix inde sexta leuca aberant, cum jamjam Bituricensem Ducem obvium haberent, quapropter unacum eo protinus versus Britanniam contendunt, ubi Dunensis Comes, necnon Loheacius Marescallus, aliique Proceres jam antea convenerant. Re comperta, Rex haud parum ira commotus est, acerbior tamen longe doloris sensu percepit, ipsum quoque Borbonii Ducem defecisse, ac in toto Borboniensi agro seditionem conflasse. Idem etiam Regis æraria exspoliabat, ac Ludovicum Crusolium, Guilielmum de Ursinis, & Oriolam, quos sibi inimicos crediderat, comprehendi jubebat.

§. CXLV.

Carolesii Comitis Expeditio.

Memoir. Comminai lib. 1. cap. 2. Sub idem tempus nuntiatum est Regi, quod Carolesius Comes copias suas educeret, ac Burgundiæ Dux, quamvis hujus conspirationis certior factus esset, adeo non seditiosis resisteret, ut etiam filio suo spondisset, se ei, si forte discrimen subiret, centum armatorum millia submissurum. Præterea rumor erat,